

Prosæ Tomus ...

Conti, Giovanni Battista

Rom, 1704

Prosa IV. Archangeli Michaelis præconium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69458](#)

PROSA QUARTA.

Arctangeli Michaelis præconium.

I qua lux unquam per
ambitum ad nos anni
labentis revertitur ,
quam ex Catholicæ
Religionis fastis jam-
pridem sacram; colen-
dam nobis utilitas, at-
que pietas perinde moneant , ea sanè
est , Auditores , magno dedita Michae-
li dies . Nam quis & sui , & Dei vel o-
scitanter negligens extremis , maximis-
que periculis non fortunarum , non fa-
miliæ , non domus , at unius , cui ea
subservire omnia par est , animæ exi-
tium trahentibus ; indormiat usque a-
deo , ut nihil se tegere opportunissimis
illius auspiciis laboret , cuius potestas
idcirco amabilis , atque amanda nobis
semper fuerit , quòd umbrarum Re-
gno invisa fuit semper , ac semper in-
fensa ? Is nempe est , ut verbo comple-
star , cælestium Legionum Ductor ,
atque Princeps Michael . Hunc , hunc
infaustissimum hostibus nostris ho-
stem

38 *Prosa Quarta.*

Item tantum profectò nos oportet amemus , quantum hostes ipsos nostros nostra intersit odiisse . Sed quid ille indetrimos demones sui Conditoris perduelles , nostrique generis adversarios valeat , noverimus planè , si novimus , quantum olim valuerit .

Meministi prælium , quod in cælo sub ipsa rerum initia funestissimè exarsit , omnium discordiarum primordium , flamarum omnium semen , furiarum , ac furialis tartari tyrocinium ? Anteibat seditionam turbam Lucifer , bellator utique potentissimus , nisi quod cui bellum intendebatur , Deus erat . At nefarii certaminis causas superbia fecerat , quod qui se nobilissimum sciret conditum , erga conditorem ipsum detrectabat obsequia ; visus sibi , non sat magnus futurus , si minor uno illo (quem vel unum omnibus & magnis majorem , & bonis meliorēm unicè optimum , maximumque necesse sit esse , vel nullum) ; se ipse demum ad parendi , serviendique leges demitteret . Hinc prima mali labes : hinc pugnæ feralis occasio , in qua illud præsertim omni morte , omniq[ue] stra-

strage horribilius, quod mors nulla,
nulla strages contigerit, siquidem im-
mortales hostes compulit Deus in-
mansurum semper exitium, in mor-
tem penitus immortalem.

Jam verò quem Deus exercituum
tantæ Militiæ Signiferum, atque Du-
cem præfecit, ut eo detrudente lethali-
lis in profundum pestis abiret, & cæ-
lum denique levaretur? Michael scili-
cet eo pollens Deo, à quo Dux consti-
tutus, ipse in tantum prælium advola-
vit primus, ipse Draconem exegit, at-
que vicit, ipse (penè dixerim) cælo
dedit, ut cælum esset. Quis (inquit)
ut Deus? Hæc aggredientis pugnam;
& hostem velitatio; hæc & expugnan-
tis pariter consummatio fuit. O verba,
ò arma, ò fulmen, quo immane illud
superbiæ caput perculsum, & impul-
sum ad ima est; ut tartareum faceret
itidem, & pateretur horrorem. Ruit
interim in præceps suo cum capite nu-
merosa pernicies, ac per immēsa raptim
elementa devolvitur, uno tandem in-
felix terræ penitioris ergastulo conclu-
denda.

Verùm ut ab his orationem porten-
tis

40 Prosa Quarta.

tis avertam , quæ vel obiter , cursim-
que prospicere instar inferorum sit , ad
nostrum continuò triumphatorem re-
gredior . Deo pugnavit olim , & vicit
Michael ; deinceps pugnare nobis per-
git , & vincere ; quando benignissimus
erga nos Deus adeò nostram victoriam ,
ac suam æquè curare visus est , ut cui
demandaverat Præliatori suum cum
rebelli dæmone prælium , demanda-
tum voluerit & nostrum ; & ad suæ in-
nos charitatis ingenium sat firmam sa-
luti nostræ tutelam daturus non alio ,
quam suomet Duce fulciri nos defen-
dique contra communem inimicum
fanciverit . Quoniam verò ea su-
peri cujusque præsidii natura est ,
ut tunc tibi plùs possit , cum ipsem et
illud tibi plus posse superna quadam
fiducia speraveris ; protector namque fidei
Deus (Cypriani sententiam loquit)
tantum dat servis suis credentibus , quan-
sum se capere credit qui sumit : Libeat
proinde ad nostram magis fiduciam
excitandam tanti propugnatoris nostri
Michaelis virtutem , & strenuam opem
magis , magisque recolere : Hanc vide-
licet ultrò nobis testantur tot debel-

lata

lata feliciter prælia, tot in tranquillum
gentes receptæ, tot communitatæ Civi-
tates, tot propugnacula propugnata,
& parta, tot regibus, regnisque si-
mul securitas: quid plura? Fas co-
njectare omnia ex hoc uno: Princeps,
atque Imperator Michael illi militiæ,
illisque militibus præsidet, quibus nul-
lius ærumnæ, nulliusque laboris est
tueri provincias, ac nationes; perduel-
lum myriadas, totosque exercitus (jus-
serit modò Deus) una confestim clade
disperdere, uno diffflare spiritu; nec
non cælestes portare orbes, rotare sy-
dera; elementorum, mundique vicis-
titudines certo rerum concurrentium;
& recurrentium nexu, atque nume-
ro, atque ordine temperare.

Cum autē tantopere validus ad tar-
tari excidium, hominūq; subsidium sit
Michael, quām porro, & ipsis se facilem
hominibus probat! Quid (rogo) illud
est causæ, quod tam sæpe in castris,
in arcibus, in urbibus tot aras poni, sa-
cella tot extrui, tot templa consecrati
ad honorificam sui memoriam decer-
nat? Non ne argumento est, quām
multiplices sui in nos patrocinii,
quām

42 *Prosa Quarta.*

quām frequentes opportunitates para-
re sibi apud nos ipsos ipse studeat , ge-
stiatque ? Novimus , quibus rerum
prodigiis insigne (ut alia transeam)
apud Sipontinos templum Deo dicam-
dum in sui , & legionum suarum ho-
norem statuerit. Aberraverat à reliquo
grege Gargani cuiusdam taurus ; diù.
que conquisitus postremò ad spelun-
cæ ostium deprehenditur : sic depre-
hensum sagittarius , qui in procinctu
fortè tunc aderat , exterrere jactis telis ,
ac turbare illicò aggressus est. Et quan-
doquidem aliò collimare eos jactus vo-
luistis cælites , depulsa per mirabilem
vim sagitta in ipsum est sagitarium re-
versa. Omnibus, quotquot aderant, non
levem ea res pavorem injecit ; jamque
ad speluncæ vestibulum pedem infer-
re , per omnes vulgò Apulos esse Re-
ligio cæperat; donec Sipontini porten-
tum ad Antistitem detulerunt , ut si
qua subinde ratione daretur, ejus sen-
sum divinitùs acciperet , & exprome-
ret. Ne vos pluribus morer , indicto
supplicationum ritu consultum , im-
ploratumque cælum , de portento An-
tistitem , ac per Antistitem Cives om-
nes

ra- nes edocuit. Adfuit enim extemplo
ge- Michael, ejusque loci suis sub auspicis
im celebritatem futuram, eaque celebri-
n) tate solemnet Dei cultum frequen-
au- tandum, & piam sui, necnon omnium
no- Angelorum recordationem instauran-
uo- dam prædixit, ac præcepit. Augustis-
iù- sime Princeps Angelicæ Reipublicæ,
an- & gentis humanæ propugnator aman-
re- tissime quām sedulò nobis, quām a-
stu manter patrocineris, vel hinc satisex-
is, ploratum habemus, quod dum nostra
in- deposcis obsequia, tua nobis debere pa-
trocinia velis: quod tamen sic velis,
em non tam conqueriris, ut patrocinia
re- nobis tua, quām ut nostra tibi obsequia
on debeatantur.

Jam quod ad nos attinet, videamus
er- etiam, atque etiam Auditores, enita-
e- murque per Deum immortalem, si
n- quidquid è re nostra potissimum est, ut
si decet, atque oportet, prosequimur;
n- enitamur nostras tenebrarum principi-
ie- bus voluntates, animosque totos adeò
fo- vehementer, & constanter opponere,
n- ut veneremur præcipue quem illi præ-
n- cipue metuunt; atque impensè quem
n- illi oderunt, amemus: maneatque id
cer-

44 *Prosa Quarta.*

certum, tunc nobis minimè nocituros,
minimèque formidandos Inferorum a-
stus, & vires , cum inde nobis spes , at-
que sospitas, unde illis formido , atque
clades.

PROSA QUINTA.

De Beata Virgine ab Angelo salutata.

O R A T I O.

Nter pias divini Nu-
minis, aut cælestium
Heroum memorias,
quas nobis sua se ver-
tigine circumvolvens
annus quotannis re-
ducit Auditores orna-
tissimi , illa cum primis esse videtur so-
lemnis , qua Nazarenam Virginem ab
Angelo salutatam recolimus . Una ,
eademque dies hujusmodi sacra myste-
rio , triplici commendatur miraculo ;
scilicet & Virginis suo Deum excipien-
tis in utero ; & Dei humanam in ute-
ro Virgineo induentis naturam ; & na-
turæ demum humanæ ad intimam
cum